



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De felicitate animæ sactæ hinc exeuntis, 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

nulla tempora succedunt per ævum: Vbi con-
 tinuus sine nocte dies nescit habere tempus.
 Vbi victor miles illis hymnidicis Angelorum
 sociatus choris, cantat Deo sine cessatione
 canticum de canticis Sion, Nobile perpetua
 caput amplectente corona. Vtinam concessa
 mihi peccatorum venia, moxque hac carnis
 sarcina deposita, in tua gaudia veram re-
 quietem habiturus intrarem: & tuæ civitatis
 præclara atque speciosa mœnia, coronam
 vitæ de manu Domini accepturus ingrede-
 rer: ut illis sanctissimis choris interesssem, ut
 cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris
 assisterem, ut præsentem Christi vultum
 cernerem, ut illud summum & ineffabile, &
 incircumscriptum lumen semper aspicerem:
 sicque nullo metu mortis affici, sed de incor-
 ruptionis perpetuæ munere latari posseni
 sine fine.

CAPVT XXIII.

De felicitate anima sanctæ hinc exeuntis.

I. Fœlix anima, quæ terreno resoluta, cor-
 pore libera, cœlum petit, secura &
 tranquilla, non timet hostem, neque mor-
 tem. Habet enim semper præsentem, cernit-
 que indefinenter pulcherrimum Dominum,
 cui servivit, quem dilexit, & ad quem tandem
 lata & gloriosa pervenit. Hanc vero tantæ
 beatitudinis gloriâ nulla dies minuere, nul-
 lus improbus poterit auferre. Viderunt eam
 filia Sion, & beatissimam prædicaverunt, &
 Regina & concubina laudaverunt eam, di-
 centes: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,
 D
 deliciis

deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Quam lata exit, festinat, currit, cum dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit: surge propera amica mea, speciosa mea & veni: jam hyems transit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.

2. Surge, propera amica mea, formosa mea, columba mea, in foraminibus petrae, in cavernis maceriae: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Veni electa mea, speciosa mea, & columba mea, immaculata mea, sponsa mea veni, & ponam in te thronum meum, quia concupivi speciem tuam. Veni, ut lateris in conspectu meo cum Angelis meis, quorum societas tibi à me repromissa est. Veni post multa pericula & labores: intra in gaudium Domini tui, quod nemo tollet à te.

CAPVT XXIV.

Oratio ad Sanctos, ut nobis succurrant in periculis.

1. **F**œlices sancti Dei omnes; qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, pacis, securi & tranquillitatis, semperque festivi atque gaudentes estis. Obsecro